DE STAPHYLOMATE CORNEAE DISSERTATIO INAUGURALIS...

Giacomo Bardini



DE

STAPHYLOMATE CORNEAE
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD

LAUREAM MEDICO-CHIRURGICAM

OBTINENDAM

PUBLICE DEFENDIT

MENSE SEPTEMBRIS ANN. MDCCCXXVI

JACOBUS BARDINI

EX MANTUA

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVI.

VIRO SPECTABILISSIMO

JOSEPHO SOLERA

MEDICINAE ET CHIRURGIAE D.

IN SUPPRESSIS SCHOLIS SPECIALIBUS NOSOCOMII MANTUAE

PROFESSORI OLIM CELEBRATISSIMO

EQUITI IN ORDINE CIVILI PROMERITI

ec. ec.

JACOBUS BARDINI

GRATUS OBSEQUENTISSIMUS

D. D. D.

DE

STAPHYLOMATE

MEMBRANAM OCULI CORNEAM DICTAM

OBSIDENTE

Staphyloma vox est a graeco fonte cadens atque morbum oculi significans, qui cum racemo, vel uvae acinis magnam tenet formae similitudinem, ideoque Staphyloma (σταφύλωμα) dicitur: graece enim staphyle (σταφυλή) uvam sive congeriem baccarum vitis viniferae exprimit.

Staphyloma contigit quando morbose intumescit cornea, quae destructo antico oculi loculo, quam Itali *camera anteriore* vocant, in modum tumoris prominet libellam oculi ipsius exuperantis; qui extra palpebrarum margines interdum protruditur, colorem habet albidum margaritaceum, figuram vero sive adspectum varium, modo enim tuberosus est, modo aequalia.

Dividitur Staphyloma vario modo; frequentissime autem occurrunt divisiones; 1.° quoad aetatem individui; 2.° quoad volumen tumoris; 3.° quoad ipsius formam; 4.° quoad extensionem.

Quoad aetatem, quae hoc morbo corripitur, ea esse potest vel infantilis et tenella, vel adultior et virilis.

Infantes, teste celeberrimo Scarpa, frequentius tentantur post ophthalmiam purulentam, quae saepius variolas insequitur, praesertim quoties pustulae exsicantur, vel etiam quando natura sua sponte cadunt. In adultis vero vel ex gravioribus iridis, aut corneae affectionibus vel ex traumatica causa etc. morbum produci omnes consentiunt.

Quoad formam atque volumen in quamplurimis individuis prout oculi globulus increscit, tumor ipse augescit varias indutus formas, e quibus variae mutuatur denominationes; in quibusdam vero certam granditatem adeptus consistit in cornea ipsa; in aliis interdum ex omni parte augetur, atque e palpebris adeo protruditur, ut et saevos cruciatus pariat, et oculum visu monstrosum atque informem reddat.

Quoad demum extensionem tumor vel partem aliquam corneae occupat, ita ut non omnino visus impediatur, et *partialis* dicitur; vel universam corneam tenet ac visus omnia abolatur, et *totalis* sive *universalis* vocatur.

Staphyloma pellucidum aut corneam conicam, ut ex ipso nomine patet, a morbo nostro toto caelo distare nemo est, qui non videat.

Causae aliae *proximae* sunt, aliae *remotae*. Vulnus corneae inflictum, ut iridis membranula deinde procidat, ophthalmia scrophulosa saepius rediens, et corneam ipsam ulcusculis defoedans, ophthalmia variolosa, siphilitica atque id genus alia, in causa esse possunt, ut et iris, et cornea inflammentur: inflammatione vero oborta, partes phlogosi prehensae simul cohaerent, anterior hinc oculi loculus disparet, amittitur visus vel omnis, ut nulla supersit sanationis spes, vel ex parte tantum, atque tandem ille morbus construitur, de quo agimus.

Symptomata, quibus stipatur morbus, sunt sequentia: tumor plus minusve elevatus et prominens, modo partem aliquam, modo universam corneam occupans, dolorificus, atque molestus praesertim sub continuo palpebrarum motu, ipsius figura varia est, maculis notatur albidis vel cinereis, cicatriculis quibusdam atque puncticulis nigricantibus in interiori corneae superficie ab adhaesione iridis cum cornea procedentibus; humor aqueus in postico oculi loculo copia abundat; loculus vero anterior omnino desideratur.

Ex omnibus hisce signis essentialibus gregatim sumptis de Staphylomatis praesentia judicium ferre nemo dubitet. Gravissimus quidem est morbus in-

ter tot, quibus delicatissimum visus organum conflictatur; etenim praeter visionis abolitionem hoc etiam mali secum habet, quod cum oculus palpebris defendi non amplius possit, aeris inde et corpusculorum in aere natantium actioni, continuo ciliorum attritui, et lacrymis jugiter fluentibus atque irritantibus obnoxius fit, unde molestissimae et vix tolerandae dimanant phlogoses.

Eximius Scarpa probe distinguit Staphyloma infantum a Staphylomate adultorum. In infantibus tumorem hunc recens natum propter adauctam corneae spissitudinem solidum esse atque omnino compactum cum Richtero consentit; in adultis vero ex accuratissimis ac paene innumeris, quas instituit, observationibus hoc extra dubium posuit, corneam membranam, labentibus annis, spissiorem nequaquam fieri, quin imo attenuari, vel saltem eamdem perstare. Hac distinctione posita, atque ex ipsa rei natura petita, Richteri opinionem recte impugnat, qui quum hasce differentias missas faceret, theoriam suam generaliorem, quam par erat, reddebat. Humor aqueus vel vitreus ob quamlibet ex recensitis causis, praesente *synechia* quam vocant, antica, vel postica massa aucti corneam distendere atque extra palpebras protrudere valent.

Scire interest corneam in infantibus nondum hoc morbo conflictatis mollem esse, flexilem, pulposam, et adultorum cornea bis crassiorem, unde anterior

oculi loculus (camera anteriore) angustior est, quam in adultis; iridis enim membranula cum posteriori corneae facie fere in contactum venit. Ex hoc saepissime contingit, ut humori in ophthalmia variolosa, vel puriformi exhalato facilis pateat via, ut per laminulas corneae intromittatur; qui quidem humor cum spissescat, et tenax fiat, cornea suam sibi propriam pelluciditatem celeriter amittit, intumescit, a naturali sua organizatione declinat, ac tandem in tumorem solidiusculum albido-obscurum et cum iridis membrana prorsus connatum mutatur.

Superatis autem tot tantisque malis, et visionis facultate deperdita, ex naturae statutis sponte crescit infans, atque venientibus annis ipse oculus increscit, iris et lens crystallina quotidie antrorsum propelluntur, ac humorem vitreum in aqueum maxima parte mutant. Major aquei humoris copia pedetentim corneam extendit aequo modo ex quacumque parte, unde et tumor pari passu augeatur oportet, nisi jam cornea dura, et reapse cornea facta fuerit.

Prout cornea ampliatur atque distenditur, membrana etiam ipsa adnata vel conjunctiva oculi, ut dicitur, crescit et fere in auxilium venit, hoc felici fato efficiens, ne majora auboriantur damna, et humores oculi evacuentur, ut et ipse globulus flaccescat et concidat. Haec adnata membrana vari-

cosis vasculis dives universam corneae superficiem quasi stratum obtegit; deinde densior fit ita, ut iridis puncticula, quae priusquam vasa turgescerent et varicosa evaderent, visui conspicua erant, dispareant, nulloque modo videri queant.

Et ipsa sclerotica tunica adeo vitiari potest, ut Staphylomate laboret; cujus quidem rei, evolventa anno academico, in clinico oculistico Instituto duo exempla nobis observanda venerunt, de quibus ad medicam Lauream consequendam disceptandum suscepit condiscipulus Brescianius, cujus observationi et curae committebantur.

Sed ne a proposito deflectere quodammodo videar, quum de Staphylomate corneae sermo sit, indicationes eo tendant oportet, ut cohibeantur compescanturque morbi progressus, ut molestia infirmi ac dolorificus sensus quantum fieri potest mitigentur, ut intentis viribus impediatur quamobrem ob continuam aeris expositionem carcinoma tandem construatur, demum ut chirurgica ope ita tumor diminuatur, ut globulus in cavum orbitae retrahatur, faciei forma naturalis restituatur, et arte factus globulus eo in loco possit collocari.

Scarpa celeberrimus in ea versatur opinione, quod in recenti infantum Staphylomate, ad praepediendos saevi ac funestissimi morbi progressus, praesertim quoties opacitas corneae nullum admittat remedium, tumor sit statim excidendus. Momenta,

quaa ad hanc operationem celebrandam ocularium impellunt, sunt, ut diri aegrotantis cruciatus mitigentur, et tollatur faciei deformitas; sin autem aegrotus discrasia aliqua conflictetur, praesertim aiphilitica (virus enim siphiliticum, ut omnia aystemate humani corporis, ita etiam intimos oculi textus irritat atque inflammat) priusquam ocularius tantum opus, aut quamvis aliam vel levissimam operationem aggrediatur, sedulo studeat fas erit, ut aptis medicae artis subsidiis hujusmodi morbosis conditionibus generalibus occurrat.

Et Celsus, et Richterus, et Scarpa suam habent operandi methodum.

Celsus hisce verbis rem expedit: »Curatio duplex est: altera, ad ipsas radices per medium »transuere acu, duo lina ducente; deinde alterina »lini duo capita ex superiore parte, alterina ex »inferiora adstringere inter se: quae paulatim se»cando id excidunt: altera, in summa parte ajna »ad lenticulae magnitudinem excidere, deinde spo»dium aut cadmiam infriare. Utrolibet autem fa»cto, album ovi lana excipiendum et imponen»dum, posteaque vapore aquae calidae fovendus o»culus, et lenibus medicamentis inungendus est».
(*Med. lib. VII. cap. 7. art. 2.*)

Richterus ulcus arte suscitabat ad fundum tumoris, vel ope lapidis infernalis, vel butyri antimonii, atque operam dabat, ut suppuratio diu per-

severatet, eo sane consilio, ut hoc pacto spissus atque tenax humor, qui tumorem facit, evacuaretur, alacriorque fieret absorbentium vasculorum functio.

In praesentiarum tamen et Celsi et Richteri methodus e sana Chirurgia exulavit, et Scarpa, quem nunquam satis cumulate laudare queam, quippe qui hanc Chirurgiae partem eo perfectionis devexit, ut nihil amplius, utramque methodum firmo ratiocinio et experientia minus idoneam comprobavit. Prima enim, nempe Celsi, plerumque inflammationem parit, spasmos, capitis dolores, et suppurationem, quam saepissime palpebrarum et oculi ipsius gangraena sequitur. Alteram autem (licet Richterus miracula jactet) in infantibus pluries expertus meeam observevit atque imperfectam, quin imo nullius utilitatis esse putat in adultis, in quibus tumor eogescit, inveterascit, neque in sua evolutione cohibetur, nisi omnino excidatur.

Hisce igitur methodis omni jure posthabitis, ea, quam ipse Scarpa evulgavit, enucleanda atque saneienda est. En descriptio; In adverso ac bene firmo sedili collocandus est infirmus loco lucido sic, ut contra ocularius paulo altius sedeat; a posteriore autem parte caput ejus, qui curabitur edoctus minister contineat, ut immobile id praestet. Tum cultellum (ab eo non absimilem, quo uti-

mur ad cataractam extrahendam) in tumorem Staphylomatis immittit obliquo tramite ab angulo externo ad internum, linea una vel altera a centro vel apice tumoris: dein ita instrumentum inclinat, ut si cataracta extrahenda esset, apicem tumoris, semicirculari incisione exscindens ea parte, qua magis prominet. Post haec recisam Staphylomatis portiunculam parva forcipe prehendit, atque instrumentum vertit, ab inferioribus ad superiora, reliquum tumorem recidens eo pacto, ut portiuncula, quam sustulit, relate ad volumen tumoris, sit magnitudinis linearum duarum, trium, vel quatuor ad summum.

Reticendum hic non est, in Instituto nostro clinico loco Charatotomi clariss. Scarpa, usuvenire instrumentum ab egr. Beer divulgatum, quod grandius communi et vulgari cultello est, qui ad cataractam extrahendam usurpatur. Praeterea Professor noster in arte peritissimus, hac ratione agit, ut prima excisione facta reliquam absolvat non quidem eodem instrumento, ab inferioribus ad superiora ducto, verum forcipa a Daviel inventa, qua exscindit etiam modo majorem modo minorem, prout tumor major vel minor est, corneae atque eodem tempore adhaesae iridis portiunculam circularem: quod cum factum sit, lens crystallina, et humoris vitrei quaedam portio, sponte per inflictum vulnus exeunt.

Instrumentum vero hoc ceteris anteponendum censet ex eo, quod excisio tumoris ab exterioribus ad interiora, facilior est, partes non distrahuntur, praesertim si Staphyloma jam vetustissimum et praegrande sit, humor aquaus parca admodum copia fluit, et tandem quum residua globuli pars major sit, fit inde ut artefactus oculus applicari possit, cum illusione moveri enim aliquo modo potest.

Sed et inter operandum, et post operationem ipsam quidem mali eventus contingere possunt, et contingunt nonnunquam. Varicosa oculi vascula, quae necessario una cum iridis membrana dissecanda veniunt prout magis, vel minus sanguinis continent haemorrhagiam majorem, vel minorem parere potis sunt: spasmodica musculorum oculi contractio, cui quidem metus et timor aegri favet, humores omnes expellit eo interdum impetu, ut coroidea ipsa protrudatur.

Frigidis fomentationibus et glacialibus haemorrhagia sisteoda erit, at protrusa coroidea, illico excidenda, ut et sanguinis fluxus coerceatur, et inflammatio prohibeatur. Haec inter agendum contingere solent. Quaa vero incommoda operationem ipsam subsequuntur, eadem propemodum sunt ac in ceteris casibus, quibus chirurgica instrumenta opem attulerant, nempe inflammatio ejusque exitus, qui juxta cognitas artis regulas eurantur. Verum haec supravenientia mala, nisi modum excedant, peri-

culo plerumque vacant; quin imo, observante atque docente illustri Scarpa, casus occurrunt in praxi complures, in quibus inflammatio dedita opera provocanda est, vel circulari excisione Staphylomatis, vel idem aeris actioni objiciendo, ut suppuratio manifestetur, et omnia regulari modo procedant.

Ut huc usque expositae res magis magisque roborentur ac confirmentur, historiam subjungo virginis cujusdam, quae hac Staphylomatis specie conflictata, et Institutum nostrum ingressa, meis curis ab illustri Professore concredita fuit.

Historia Morbi.

Catharina Rela rusticula octodecim annos nata, ex Vico divi Sebastiani in Tirolensi Ditione, temperamenti sthenico-incitabilis, Institotum ingrediebatur die 24 Novemb. elapsi nuper anni, quippa quae tumore in oculo dextero mediocris magnitudinis conflictabatur. Retulit se nullis antea morbis pressam fuisse, si excipias psoricam, et quidem levem affectionem, qua opportunis subsidiis profligata, optime semper valuit; et sciscitata de causis, haec habuit, quae diceret. Evolvente scilicet anno 1820, quum domi innocuis ludis, ut ferebat aetas, eum aliis puellis recreandi animi causa oblectaretur, frustulo ligneo in superiori angulo externo

dexteri oculi percutiebatur: atque disrupta cornea visus obscuratio illico oborta est. Rustici quidam, ut oculum albumine ovi cooperiret, et dein oculum ipsum sacchare pulverato, et farina quam *zippa* vocant, flando conspergeret, suaserunt. Haec incassum pluries repetita sunt, quin imo irritando noxia evaserunt. Quare accersitus fuit medicus, qui decoctionibus emollientibus ex malva, et postea ex rosis, oculum foveri jussit, eo consilio, ut inflammatio, quae oborta erat, coerceretur. Sed nullus fuit effectus; quarta enim hebdomada vix elapsa, infelix puella visum amisit, quum disruptio corneae, et subsequens inflammatio corneam ipsam in disorganizationem conjecerint. Inspectus tumor rotundus et sphaericus visus est, in apicis centro cicatriculam gerebat obliquam ab exterioribus ad interiora, colorem praeseferebat hac albidum, illac cinereum, volumen mediocre, sed tale, ut intimae partes conspici vix possent, et palpebrae exacte occludi nequirent; unde et palpebrarum, et oculi ipsius perpetuum atque perenne irritamentum.

Morbi hujus genesim hoc modo enucleavimus. A suscepta contusione atque corneae laceratione phlogosis, et quidem gravis orta est, scleroticam, iridis membranam, et mediam corneae partem occupans: ulcusculum uti exitus inflammationis laminulas corneae ipsius absumpsit, unde aqueus hu-

mor profluxit. Quod cum contigisset, iridis et corneae superficies, qua sese mutuo respiciunt, ad contactum venerunt, et per exsudationem lymphaticam a phlogosi productam, altera alteri adhaerens remansit: anterius hinc spatiolum (camera anteriore) obliteratum est.

Hoc adhaesionis opus ex eo etiam ansam accepisse probabile admodum est, quod intercepta resorptione in anteriori spatio, humor aqueus in postico jugiter affluens ita quantitate adauctus est, ut in iridis membranam vim faciens eam magis magisque cum cornea adhaerere jusserit. Haec praeterea aquei humoris coacervatio ex obstructis etiam corneae osculis aliqua ex parte prodiisse videtur. Perpetuam interim hujus humoris pressionem contra corneam hanc distendere, et extrorsum informi modo protrudere necessario debuisse, nemo est qui statim animo non percipiat.

Quibus omnibus examinatis de Staphylomate simplici judicium ferre non dubitavimus, atque ut aegrota tot tantisque molestiis liberaretur, tumoris excisionem, ceteris praetermissis auxiliis utpote futilibus, et nullius prorsus utilitatis, celebrandam esse existimavimus.

Excisione vix facta methodo paulo supra descripta, haemorrhagia in promptu fuit, et data via, humor aqueus, lens crystallina et vitrei quaedam portio exierunt. Paucarum horarum spatio, quod

vitrei humoris residuum erat exivit, et coroidea ipsa sub forma tumoris sphaerici nigrescentis, haemorrhagia concomitante, protrusa est. Licet Catherina satis tranquillo esset animo, tamen non potuit quominus dolorifico sensu afficeretur; quo factum est, ut musculi tum recti, tum obliqui oculi in spasmodicam contractionem inciderent. Coroidea non multo post excisa est forcipe, ut dolores mitigarentur, et haemorrhagia sisteretur. Proximam noctem insomnem et tristissimam fecerunt dolores oculi lancinantes, quibus sequenti nocte vomitus, et stillicidium sanguinis ex oculo accesserunt. Ad haec sedanda symptomata propinata fuit limonea tenuis cum tartaro solubili et saccharo epicratice sumenda, et frigida balnea oculo imposita sunt. prospere quidem; etenim tertia die haemorrhagia cohibita est, et dolores mitiores facti sunt. Verum intra palpebras sanguine, qui prius effluxit, coacervato, tumor insurrexit durus, tensus, rubicundus, cui discutiendo tepidae fomentationes adplicitae fuerunt. Octava die ab recisione facta, febris ingruit levis cum vomitu, et alvi constipatione: hinc ad alvum movendam, et gastrica inquinamenta, si quae in primis viis aderant, eliminanda oleum riccini, et limoneam tenuem cum tartaro solubili sumi jussimus. Tumoris imminutio, atque omnium symptomatum mitigatio de saluta brevi adfutura deponebant, nisi jam verminationis signa

proximorum malorum indicia insurrexissent. Decima quarta enim die inspecta aegrota haec observanda obtulit, nimirum: oculi inflammationem adauctam, pupillam sacci ampliorem, os amarum, animam foetentem, linguam velamento lardaceo, et puncticulis rubris conspersam, abdomen turgidum, narium pruritum, pulsus profundos apyreticos.

Quibus perpensis, atque habitu ipso aegrotantis considerato, gastrico-verminosam affectionem adesse cognovimus, quae consensus ope localem oculi morbum graviorem fecit. Ad sanctonicum igitur in primis confugium habuimus, dein ad radicem filicis maris, cujus dracm. ss. cum unc. j ss. extract. sanct. sub forma pillulari praescripsimus. Tumori vero cataplasma imponendum curavimus ex farina seminum lini, hyosciami nigri foliis commixta. Pro potu decoctio corticis aurantiorum. Quibus administratis, et clysmatibus injectis ex aqua simplici, et ex decoctione hordei, aut infuso chamomillae cum oleo olivarum, pluries alvus mota est, et lumbricoides sexdecim per sedes expulsi fuerunt maximo quidem cum aegrotantis levamine; lingua enim purior facta est, narium proritus imminutus, alitus minus faetens, abdomen tractabile, pulsus naturales, et tumor ipse oculi conciderat, laudabili suppuratione apparente. Verum quum identidem eadem symptomata insurgerent, iisdem reme-

diis debellata sunt, ita ut 22 curatioois die fere omoino evanueriot.

Hoc nequaquam praeterenndum est, quod in auperficie interna inferioris palpebrae illius oculi, qui Staphylomate laborabat, tumor apparuerat rubicundus, qui palpebram ipsam extroflectebat. Quum, vigente inflammatione, palpebras a se invicem disjungere ratio ipsa vetaret, judicium io eo foit, quod luxorians palpebrarum coojunctiva tumorem efficeret. Collyrium admoveri jussimus ex vitriolo albo cum mucilagine seminum cydoniorum, et aqua distillata, nec non liotea tepida tumori imponenda: deiode iocisiooes pluries ac saepius repetitae fuerunt. Tomor vero, qui borum subsidiorum mioisterio per plures dies imminutus visus erat, iterum progerminavit, et ioflammatioois acutie non paululum fracta, res atteotius accuratiusque examinata est, compertumqoe fuit luxuriantem globuli conjunctivam inculpandam esse, quae in tumoris sarcomatosi speciem conformata ectropium efficiebat. Quare tumorem uno ictu forcipis excidimus, ut ablato omni molestiae seosu palpebrae perfectae inter se coovenirent summo quidem cum emolumento. Hoc facto, per dies plures collyriis primum emollientibus, dein adstringentibus ex vitriolo albo, et laudaoo liquido usi fuimus, optimo quidem successu. Potionem vero coosuetam ex cortice auraotiorum quum fastidiret aegrotans cum potu ex

anisi stellato, et syrupo corticis citri limonis commutavimus.

Ut tandem omnium quae supervenerunt, malorum series completa habeatur, scire etiam interest furunculum internum angulum oculi obsidentem maximis affecisse molestiis Catharinam nostram; donec tandem opportunis emollientibus subsidiis post duodecim dies prospere discussus est.

Superatis hoc pacto institutae operationis sequelis, iisque etiam feliciter devictis affectionibus, quae primario morbo copulatae eumdem graviorem efficiebant, Catharina Institutum egrediebatur laetabunda, quod tot tantisque molestiis expedita, licet oculo orbata, eo tamen in statu versaretur, ut artefacto oculo naturalis loco collocato, formositatis suae parum admodum amisisse videretur.

THESES DEFENDENDAE

I.

Remedia tutiora sunt magis experientia comprobata.

II.

Melius est anceps experiri remedium, quam nullum. *Cels.*

III.

Natura gaudet consuetis, aegre fert contraria. *Boerhaav.*